uidetis. unde & matheus angelum apparuisse describens ait,
Erat autem aspectus eius sicut fulgur. & uestimenta eius candida
sicut nix, In fulgore & enim terror timoris est; In niue autem
blandimentum candoris; quia uero omnipotens ds & terribilis est
peccatoribus & blandus iustis, Recte testis resurrectionis eius
angelus & in fulgore uultus & in candore habitus demonstratur,
ut de ipsa sua specie & terreret & reprobos & mulceret pios, Unde
recte quoque populum per deserta gradientem. columna ignis in
nocte. & columna nubis praecedebat in die, In igne & enim
terrorem; In nube autem blandimentum uisionis lene, Dies uero
uita iusti. & nox accipitur uita peccatoris, Unde & conuersis
peccatoribus paulus dicit, Fuistis aliquando tenebrae nunc
autem lux in domino, In die ergo per nubem columna demonstrata est.
& in nocte per ignem. quia omnipotens ds & blandus iustis & terri
bilis apparebit iniustis; Istos in iudicio ueniens per lenitatis
mansuetudinem demulcet. illos uero per iustitiae districti
onem terret, Sed iam quid angelus subiungat audiamus,
Ihm quaeritis nazarenum, Ihs latino eloquio salutaris.
id est saluator interpraetatur, At uero multi poterant tunc
ihm dici. non tamen substantialiter sed nuncupatiue, Ideo
& locus subiungitur ut de quo ihu dictum sit manifestetur;
Nazarenum. et causam protinus subdidit. crucifixum.
atque addidit; resurrexit. non est hic, Non est hic dicitur
per praesentiam carnis. qui tamen nusquam deerat per prae
sentiam maiestatis, Sed dicite discipulis eius & petro
quia praecedit uos in galileam, Quaerendum nobis est quur nomi
natis discipulis. petrus designatur ex nomine, Sed si hunc
angelus nominatim non exprimeret. qui magistrum negauerat.
uenire inter discipulos non auderet, Vocatur ergo ex nomine.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0009